

*Maiorem hac dilectionem nemo habet,
ut animam suam quis ponat pro amicis suis.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

- ⁹ «Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos;
manéte in dilectióne mea.
- ¹⁰ Si præcépta mea servavéritis,
manébitis in dilectióne mea,
sicut ego Patris mei præcépta servávi
et máneo in eius dilectióne.
- ¹¹ Hæc locútus sum vobis,
ut gáudium meum in vobis sit,
et gáudium vestrum impleátur.
- ¹² Hoc est præcéptum meum,
ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos;
- ¹³ maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.
- ¹⁴ Vos amíci mei estis,
si fecéritis, quæ ego præcípio vobis.
- ¹⁵ Iam non dico vos servos,
quia servus nescit quid facit dóminus eius;
vos autem dixi amícos,
quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.
- ¹⁶ Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
ut quodcúmque petiérítis Patrem in nómine meo,
det vobis.
- ¹⁷ Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem».

Verbum Dómini.